DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
MORALITATE IMPUNITATIS

Occaſione Clem. I. de Celebr. Miſſæ.

QUAM

EX AUCTORITATE

MAGNIFICI PRO-RECTORIS

DN. PETRI DE TOULLIEU

Juris Utriuſque Doctoris, Ejuſdemque in inclyta Illuſtr. ac Præpot. Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academia Profeſſoris Ordinarii,

UT ET

Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Juridicæ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus ac Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Publico examini in Choro Templi Academici ſubmittit die 7. Auguſti 1725. horis ſolitis

EHRENREICH GERHARD COLDEWEY

FRISIUS ORIENTALIS.

ROMA

GRONINGÆ, ex Officina JOHANNIS à VELSEN. 1725.

Digitized by Google

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

Dn. GEORGIO ALBERTO

PRINCIPI AC DOMINO
IMPERANTI FRISIÆ
ORIENTALI,

DOMINO ESENÆ, STEDESDORFII, ET WITTMUNDÆ, RELIQUA:

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO
FELICITATEM!

Digitized by Google

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME

Quod primitias Muſarum mearum *Sacratiſſimo TUO NOMINI* inſcripſerim, non ſine ſumma temeritate feciſſe videor. Vitium autem, ſi quod huic facto ineſt, ipſa TUA maxima corriget Clementia, nec non animus meus pius ac

Digitized by Google

ac devotus. Soles, *Sereniſſime PRINCEPS*, non eos ſolum favore TUO dignari, qui abſolutiora TIBI offerunt opera; ſed eos etiam, quorum tenuitati, praeter nonnullas plagulas, quas offerant, datum nihil eſt. Et omnem mihi hoc dubitationem excuſſit, quum insuper hæc, plagulas haſce nonnulla faſtigio TUO digna continere plane mihi perſuaſum habeam. invenies enim, *Sereniſſime PRINCEPS*, imprimis in iis quæ de indulgentia in ſubditos dixi, animum TUUM Clementiſſimum tantum non expreſſum. Nam quum Cives ſpe impunitatis criminum commiſſorum peſtilentia inficiantur, & ad iteranda ſcelera

Digitized by Google

reddantur procaciorês; indulgentia autem in nonnullis peccatis haud raro etiam in rectiorem viam deducantur: in utroque, quod TE dignum exiſtimandum, in medium protuli. Delicta enim ulciſci, errores reprehendere, negligligentiam notare, facto cuique digna poena quum ſoleas, bonoſque inde eximio gaudio adficias, malos vero metu, quominus reipublicæ noceant, impedias, merito TIBI, uti Trajano a Plinio factum, adclamamus: *Ut ſic TE Deus amet, quemadmodum TU nos.* Mereris profecto, *Sereniſſime PRINCEPS*, ut pro TUA felicitate ac incolumitate vota frequentiora nuncupemus, pacemque,

Digitized by Google

que, concordiam, ſecuritatem, opes, honores optaturi, ſimplex, cunctaque iſta complectens, unum omnium votum faciamus, SALUS PRINCIPIS. Adductus itaque in certiſſimam ſpem fore, ut TIBI, *Sereniſſime PRINCEPS*, quum oblata prima tirocinii mei rudimenta Halae poſita, pro ea qua in cives TUOS es benignitate, non ingrata fuerint, hoc quoque ſtudiorum novum ſpecimen non prorſus diſpliceat: non eſt, quod fuſiori epiſtola TE a curis maximis, quibus pro ſalute populi TUI occupatus es, diſtineam, favori TUO in litteratos

Digitized by Google

ſpectabiliori, indulgentiæque peculiari humillime commendaturus

T I B I

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME

Datum Groningæ
die Iulii Anni
MDCCXXV.

ſubjectiſſimum obedientiſſimumque

Autorem.

L E C-

Digitized by Google

LECTURIS
S. P. D.
EHRENREICH GERHARD COLDEWEY

NOn deerunt, qui mirabuntur argumentum ſcriptionis noſtræ plane ſingulare, quippe quod neque dubiam quandam juris theſin illuſtrat; neque notum quoddam thema, nondum examinatum ſatis, ſecundum genuina juris principia ulterius excutit; neque denique theſes complures, vel ſolas, vel cum earum exegeſi ſiſtit. Inde paucis tantum inſtituti rationem adferre, non a re eſſe videtur. Duo potiſſimum ſunt, quæ nos incitarunt ad elaborationem hujus materiæ. Primum *quidem, quod a nemine adhuc, quantum quidem nobis innotuit, hoc argumentum ſit tractatum, tam diſquiſitione fuſiori,*

quam

Digitized by Google

quam ſaltem diſſertatione quadam. Maluimus igitur novum quoddam, & ab aliis intactum eligere, in quo nos exerceremus, quam notas juris poſitiones, ſatiſque jam excuſſas, iterum illuſtrare. Alterum *vero, idque præcipuum, quod nos movit, fuit argumenti gravitas. Sive enim ſpectes ejus utilitatem in theoria, quid eſt quæſo non Principi ſolum, ſed omnibus Juſtitiæ Sacerdotibus, cunctisque Juriſprudentiæ univerſæ operam navantibus magis neceſſarium, quam ſcire impunitatis modum, quem in criminibus puniendis condonandiſve adhibeant. Sive etiam praxin intuearis, nonne inde ſalus reipublicæ, quæ cunctis bonis ſuprema lex eſto, omnino dependet? Tranquillitas enim, paxque publica ad conſervationem, ideoque ad ſalutem reipublicæ eſt tam neceſſaria, quam quod maxime; Non poteſt autem haec obtineri, niſi turbatores publicæ quietis digna adficiantur poena, ne criminis impunitas in exemplum verſa, in vulgus emanet. Quum vero Horatianum illud:*

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum:

ad pleraſque hominum actiones applicari queat; conati quoque ſumus oſtendere, leviora peccata Principem, quum viderit magis errore, quam protervia reum ad

cri-

Digitized by Google

crimen committendum adductum fuiſſe, ipſumque delictum id eſſe, quod non facile ad imitationem trahi poſſit, vel condonando, vel mitiori notatione dimittere poſſe. Ceterum verba Clem. I. de Celebr. miſſæ, quam in titulo occaſionem hujus Diſſert. præbuiſſe diximus, ſunt in principio: Negligentia, quæ ſpem impunitatis permittit, multam nutrire peſtilentiam conſuevit in ſubditis. *Et haec quidem de inſtituti noſtri ratione Lectorem latere noluimus, cui tamen, de hoc noſtro libello judicium laturo, ad noſtrum quoque ſcriptum utili interpretatione applicatam* L. 24. π. *de LL.* Incivile eſt, niſi tota lege (*ſcriptove*) perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare; *ante meditandam commendamus. Dat. Groningæ A. O. R. MDCCXXV. die Auguſti.*

Digitized by Google

DISSERTATIONIS JURIDICÆ INAUGURALIS DE MORALITATE IMPUNITATIS

CAP. I.

De Impunitatis Forma.

§ I.

PLacet, quoniam primaria hac diſſertatione diſputatio de Impunitate futura eſt, ante definire QUID SIT IMPUNITAS; Omnis enim (Ciceronis verbis utor) quæ a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.

§. II.

Digitized by Google

FORMA.

§. II.

Eſt itaque IMPUNITAS CONNIVENTIA MAGISTRATUS AD DELICTA. Et hæc quidem definitio nobis nunc erit illuſtranda atque examinanda. Unde duplex de hac definitione quæſtio erit. Altera; quam late pateat conniventia, quumque hic neceſſario ut genus conſideranda ſit, quas comprehendat ſpecies; altera vero ſignificationem magiſtratus hoc loco, eruet, ac rationibus confirmabit.

§. III.

Triplicem potiſſimum conſtituimus *ſpeciem conniventiæ*; primam *bonam*, alteram *malam*, tertiam *indifferentem*. *Bonam* eſſe ſtatuimus, ſi e. g. ob delinquentis merita in rempublicam peccatum commiſſum impunitum dimittitur. Quod quidem vel eam ab cauſam fieri poſſe, nonnunquam oportere putamus, quia bonos præmiis adficiendos eſſe neminem negaturum confidimus. Præmia vero quis prohibebit duplicia conſtituere, ponentia & privantia. Quæ quum ita ſint, ponentia erunt varia benefactorum remunerationum genera, quæ non hujus loci; privantia vero, remotiones incommodorum promeritorum. Bene meritos itaque quum præmiis dignos quilibet judicabit, etiam objectum privantium præmiorum eos eſſe, ultro adparet.

Digitized by Google

§. IV.

Sed videamus, quæ ſit *conniventia mala.* Eſt hæc, ſi ſuperior delictorum poenam indignis remittit. Quod quidem duplici modo fieri poteſt. Primum, ſi ex negligentia remittit, quæ merito ſupina vocanda. Quum enim ſit primaria officii magiſtratus ratio in rectione reipublicæ ſcire ſalutem reipublicæ ſupremam ſibi latam legem eſſe, hanc nec obſervare, nec obtinere poteſt, ſi delicta, quietem publicam, ſalutis reipublicæ fontem præcipuum, turbantia, negligit, ac impunita relinquit, de quo plura Cap. III. in medium proferemus. Secundo loco vero remittere poteſt magiſtratus delictorum poenam indignis, ceteroquin non negligens; partium tamen ſtudio laborans. Quod quidem, ſi ſacra auri fame facit, infamiæ macula notari ſæpe ſolet inferior magiſtratus; Superior, qui ſupra LL. civiles, quippe quæ ſuos natales & autoritatem ipſi debent, poſitus eſt, Deum O. M. vindicem, & conſcientiæ malefactorum conſciæ dira tormina timenda habet. Si vero amicitia aut ambitione ductus magiſtratus conceſſerit indigno impunitatem, ex adducta antea hoc ipſo §. ratione patet, quantum inde reipublicæ detrimentum immineat.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Tertia conniventiae ſpecies, quam ſub initio §. III. *indifferentem* vocavimus, eſt, ſi non conſtat utrum e re ſit irrogare delinquentibus poenas an remittere. Talia exempla adducemus Cap. III. Evenire enim hodienum poteſt, ut rebellionis fax & tuba is ſit, qui inſigniori in plebe autoritate pollet, ut promerita eum adficere poena ex regulis prudentiæ non conſultum ducat Imperans, quod ſi autem vim armaque adhibere vellet, poenam ſtatim exſequi poſſet. Licet plerumque autem caſus ad hanc tertiam ſpeciem referendi ii erint, in quibus conſtabit, in quam partem magis ſit propendendum, ad poenam ſcilicet, vel exſequendam, vel remittendam; tamen etiam eorum, qui exiſtere poſſent, rationem habendam eſſe duximus.

§. VI.

Jam vero ex dictis patebit, *diſpenſationem*, & *adgratiationem* (vocibus barbaris utendum eſt) quæ ſunt ſpecies impunitatis, modo ad primam, modo ad alteram tertiamve claſſem referendam eſſe, pro varietate nimirum ac diverſitate circumſtantiarum. Quod, quum cuilibet claſſium §. §. antecedentibus recenſitarum naturam conſideranti ſuapte ſponte patere poteſt, non eſt, quod plura addamus.

Digitized by Google

§. VII.

Reſtat altera hujus capitis quæſtio *ſignificationem*, quam hoc loco voci *magiſtratus* tribuimus, explicans. Obiici enim poſſet, quare non notiſſima voce Principis uſi eſſemus, præſertim quum conſtet, ei primario impunitatis concedendæ facultatem competere, uti ſeq. Cap. oſtendemus. Ideo itaque hoc fecimus, quia omnino certi caſus ſunt, in quibus inferiori magiſtratui non denegandum eſt jus poenas remittendi; quod apprime bene oſtendit Ben. Carpzorius JCtus magni nominis in Prax. Crimin. part. III. qv. CL. ubi §. 75. in poenis corporalibus, & §. 85. in poenis civilibus remiſſionem, aut commutationem poenarum inferiori magiſtratui tribuit. Magiſtratus itaque generaliori adpellatione & Principem, ſummumque Imperantem, & magiſtratum inferiorem complexi ſumus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De ſubjecto Impunitatem exercente.

§. I.

EXcipit caput de Impunitatis forma doctrina de ejus exercitio. Quam intuentes, ſtatim occurrit quæſtio QUIS IMPUNITATEM EXERCEAT, & primaria hæc quidem erit toto hoc capite diſputatio.

§. II.

Concedit impunitatem IMPERANS, quem alio nomine ſuperiorem vocari fas eſt. Hic vero, vel immediate imperat, diciturque ſummus Imperans Princepſque, vel mediate, quem magiſtratum inferiorem vocamus intuitu ejus, penes quem ſumma poteſtas ſita eſt.

§. III.

Quod ad primum attinet, quum conſtet, eum LL. ferre, poenam in delinquentes conſtituere, conſtitutam exſequi poſſe, quo ſecuritas publica obtineatur, & conſervetur; ſic ad eundem finem delinquentibus nonnunquam veniam concedit, hoc-

Digitized by Google

hocque facit ſolus, & in nonnullis ſaltem caſibus, quos Cap. antec. § VII. adduximus, inferior magiſtratus veniam largitur. Inferiori enim magiſtratui non eſt proprie facultas poenas remittendi, immo ne mitigandi quidem, tribuenda, hocque ob duplicem rationem, quam adduxit vir clariſſ. Jo. Franciſ. Buddeus in Philoſophia ſua Practica cap. V. ſect. V. §. VII. quarum prima hujus loci eſt, altera cap. III. infra reſervanda: *Interim*, inquit, *ne ſi temere poena remittatur aut mitigetur, auctoritas LL. evileſcat, conſultum fuerit magiſtratibus inferioribus neutiquam facultatem poenas remittendi, aut mitigandi concedere.* Et Carpzovius P. III Praxis crimin. Qv. CL. §. 9. *Nihil verius neque juſtius eſt, quam poenæ remiſſionem ſoli Principi ſupremo competere* conf. etiam Clariſſimi Viri Jac. Gabr. Wolfii JCti Hallenſis Inſtitutiones Jurisprud. Naturalis P. II. Sect. II. cap. VII. §. III. & IV.

§. IV.

Hanc noſtram theſin teſtimoniis jam illuſtrabimus. Quumque §. antec. dictum ſit Imperanti jus poenas infligendi competere, illud prius comprobabimus verbis D. Pauli in Epiſt. ad Rom. cap. XIII. 4. Ibi ille: *Dei miniſter eſt* (magiſtratus ſcil.) *in tuam utilitatem. Si vero vitia commiſeris, timeto: non enim fruſtra gladium gerit, quippe quum ſit Dei miniſter ad irrogandas poenas iis, qui malefaciunt.*

Pa-

Digitized by Google

Patet ſatis aperte ex hoc loco Apoſtoli, Imperantem poteſtate poenas inferendi inſtructum eſſe. Sic etiam Puffendorfius lib. VIII. de J. N. & G. cap. III. §. 7. docet: *enimvero nobis fixum ſedet, poteſtatem poenas ſumendi eſſe partem Imperii; adeoque neminem poſſe poenam proprie dictam alteri imponere, niſi qui in ipſum imperium habet.* Quod eo ipſo quoque adfirmat Hertius JCtus inſignis, quum adductis teſtimoniis *negat poenarum remiſſionem populo permittendam eſſe* in Elementis Prud. Civ. P. II. Sect. VIII. pag. m. 418. §. XX.

§. V.

Quum itaque ad præparationem quaſi demonſtravimus Jus Imperantis puniendi, quod proprie nobis hic probandum eſt, Impunitatis exercitium teſtimoniis confirmabimus. Citata verba D. Pauli antec. §. hoc nobis innuere videntur; In *tuam nimirum utilitatem* verba hoc indicant. Sive enim publicam hic, ſive privatam utilitatem intelligere libet, Imperans utramque intendit. Publicam quidem, quo non minus clementia & amore, quam poenæ formidine peccantes impediat, ne quid iterum committant, quo tranquillitas publica ſaluſque reipublicæ turbetur; privatam vero, quo delinquentem mitiori via ad officium reducat, quem finem ſi obtinet, uti ſæpius fieri manifeſtum eſt, privata ejus utilitas omnino promovetur.

Digitized by Google

§. VI.

Huc pertinet illud Senecæ de Clem. lib. I. cap. III. ubi impunitatis exercitium alio nomine clementiam vocat. *Nullum*, inquit, *clementia ex omnibus magis, quam Regem aut Principem decet.* Citatuſque cap. I. §. VII. Carpzovius dicto ibidem loco §. 14. *Soli ergo*, ait, *dum Principi jus adgratiandi, reiſque poenæ veniam indulgendi competit, rectiſſime inter regalia, ſeu jura Majeſtatis hoc refertur*, additque allegata ex DD. & LL. civilibus, quæ quidem hic recenſeri merentur. Sic *l.* 4. *π. de Poenis* ait, neminem poſſe commeatum, remeatumve dare exuli, niſi Imperatorem ex aliqua cauſa & *l.* 31. *ibid.* vetat damnatos ad beſtias dimitti a Præſide favore, antequam Imperatorem conſuluiſſet Præſes, neque licere damnatos ex provincia in provinciam transducere ſine permiſſu Principis. Et inprimis *l.* 3. *C. ne ſanct. baptiſm. iter.* hæc adſerit: Quæ omnia, inquit, ita cuſtodiri decernimus, ut nulli judicum liceat delatum ad ſe crimen minori aut nulli coërcitioni mandare, niſi ipſe idem pati velit, quod aliis diſſimulando conceſſerit.

§. VII.

Huc quoque referenda ſunt teſtimonia LL. civilium de indulgentia Principis mentionem facientium. Sic *l.* 30. *π. de O. & A.* & *l. ult. de bon.*

pro-

Digitized by Google

proſcript. in Cod. Theodoſ. indulgentiæ Ptincipalis; *l. 2. π. de ſentent. paſſ. l. 5. C. de re milit. l. 11. π. de fideic. libert. §. ſi ſervus. l. 41. π. de excuſat.* indulgentiæ Principis mentionem facit. *l. 3. π. de conſtitutt. Princ.* beneficium Imperatoris, quod a divina ejus indulgentia proficiſcitur, commemorat. *l. 2. C. de gener. abolit.* indulgentia Imperat. crimen exſtinxiſſe dicitur. *l. 12. C. de ſentent. paſſ.* ait Indulgentia Imperat. deportationis veniam quem conſecutum eſſe. *l. 4. C. de. bonis proſcr. ſ. damnator.* teſtatur damnatum ad metalla indulgentia Imperatoris liberatum eſſe; & qui præterea eſt magnus ad hanc rem facientium civilium LL. numerus.

§. VIII.

Hinc ſatis liquere arbitramur ſoli Imperanti indulgentiam, quemadmodum in LL. citatis audit, quod nos Impunitatis exercitium vocamus, attribuendam eſſe. Non eſt igitur, quod in hac probatione longiores ſimus, Tertio Capiti manum admoturi.

Digitized by Google

C A P. III.

De Impunitatis Objecto, Cauſa Impellente, & Modo.

§. I.

EX ipſa, quam Caput hocce gerit inſcriptione patet triplicem nobis futuram quæſtionem. Primam quidem, quæ *Objectum* Impunitatis conſiderabit; alteram, quæ *cauſam*, ſuperiorem ad concedendam Impunitatem *impellentem* inveſtigabit; tertiam, quæ *modum* in impunitatis conceſſione obſervandum oſtendet.

§. II.

OBJECTUM Impunitatis ſunt cives, iique boni. Neque vero quiſquam bonorum appellationem iis ideo negabit, quod impunitatis objectum eos conſtituimus. Quum enim abſque malitia atque protervia peccent, non delinquunt ut mali, quod durius foret dictum, ſed errore a via recta ſeducuntur, unde tamen ad bonorum civium numerum procul dubio referendos eſſe cenſemus. Bene enim diſtinguendum inter homines bonos, & bonos cives.

Digitized by Google

ves. Civis bonus eſſe poteſt qui leviter in LL. impingit, non quidem itidem homo bonus, quem ſine omnibus vitiis eſſe oportet, iis nimirum, quæ per actus externos, animive violentos impetus ſeſe exſerunt, vitiorumque naturam ipſo effectu produnt.

§. III.

Pergamus ad CAUSAM IMPELLENTEM ſuperiorem vel imperantem ad exercendam impunitatem, hancque diverſam, ad unum tamen primarium finem tendentem inveniemus, delinquentium ſcilicet emendationem, & inde orientem reipublicæ ſalutem, ad quam in impunitate concedenda reſpici ſemper debet. Et quidem, ut ejus ratio ita habeatur, ut venia danda non directo ſolum ad reipublicæ commodum tendat, ſed etiam concedatur, ſi modo abſque detrimento ſtatus publici fieri poteſt. Egregie hac de re Puffendorfius de J. N. & G. Lib. VIII. Cap. III. §. 15. *Neque tamen, ſi qua delicta ſunt idonea, ut in foro humano puniantur, poena neceſſario ſemper eſt exigenda, quin quandoque veniæ locus eſſe poteſt.* & in fine hujus §. *Salutem civitatis non ſubverti, ſed quandoque ſtabiliri venia in loco & tempore adhibita, manifeſtum eſt.*

§. IV.

Alia præterea ratio eſt, ad eundem tamen, quem diximus, primarium finem reſpiciens, ſi ſuperior viderit non minus impunitate delinquentis emendationem obtineri poſſe, quam exſecutione poenæ, quod quidem ſæpius etiam contingere poteſt. Seneca Lib. I. de clem. Cap. II. *Magnam partem hominum eſſe*, ait, *quæ reverti ad innocentiam poſſit.* Eadem Quinctilianus perhibet in Inſtitut. Orat. Lib. XII. Cap. I. *Nemo dubitabit, quin, ſi nocentes mutari aliquo modo poſſint, ſicut poſſe interdum conceditur, ſalvos eos eſſe magis e republica ſit; quam puniri.* Simili modo Gellius in N. A. lib. VI. no. XIV. *Quando igitur aut ſpes magna eſt, ut is, qui peccavit citra poenam ipſe ultro ſe corrigat*, aut ſpes contra nulla eſt emendari eum poſſe, & corrigi, aut jacturam dignitatis, in qua peccatum eſt, metui non neceſſum eſt, aut non id peccatum eſt, cujus exemplo neceſſario metu occurrendum ſit, *tum quicquid ita delictum eſt, non ſane dignum eſſe imponendæ poenæ ſtudium viſum eſt.* Pertinet huc exemplum Pyrrhi Regis a Valerio Max. lib. V. cap. I. in extern. no. 3. relatum; *is enim clementia ſua*, qua uſus eſt erga Tarentinos quosdam, qui in convivio parum honoratum de ipſo habuerant ſermonem, factumque hoc etiamnum, facete quidem, ſed audacter

ſatis

ſatis defendebant, *effecit, ut ipſi ſobrii gratias agerent, & ebrii bene precarentur.*

§. V.

Nonnunquam etiam ſolet venia dari delictis, ut delictum atrocius avertatur, unde ex duobus malis, altero quidem futuro adhuc, ſed præſenti longe funeſtiori, præſens minus eligendum. Comprobat hoc ſuo exemplo David Rex, 2 Sam. XIX, 23. ubi Simei, qui Regi, a rebelli ſuo filio in fugam verſo, maledixerat, vitam condonat, veniamque delicti concedit temporariam; ex ratione politica, ne, graviori, uti delictum atrox merebatur, de Simei poena ſumta, Iſraëliticus populus, qui a Davide ad Abſalomum defecerat, hocque interfecto ad Davidem redire coeperat, metu ſupplicii, quod meruerant, denuo ab eo deſciſcerent. Et hoc quidem indicat ipſe David cit. loco ỳ. 12. *Credisne me neſcire, quod hodie Rex Iſraëlitarum conſtitutus ſim.* Talia etiam Hertius in Elem. Prud. Civ. Part. II. Sect. XXV. §. XIII. ſuadet: *Ut rebellibus, ſi ab iis petatur natura non iniquum, aut improbum, (v. g. tributorum diminutio, aut rapacium miniſtrorum remotio) concedendum ſit, præſertim in graviſſimo motu.* & deinde *Deſperatio rebellibus nunquam iniicienda. Hæc enim excitat ad audendum, & qui ſalutem deſpondet, exitii ſolatia quærit comiteſque morte: e contra-*

trario impunitatis oblatione minus factioſi ſe ſubducunt. Ita etiam in obſcuræ diſceptationis rebus, quum interſit reipublicæ dubium non explicari, a poena ſæpe abſtinendum eſt. Et huc quoque pertinent mala inveterata, poena quidem omnino digniſſima, ea tamen, quæ ſi tollere velis, reipublicæ commotio, immo convulſio metui neceſſe ſit. confer. Illuſtris Thomaſius Inſtitutt. Juriſpr. div. lib. III. cap. VII. §. 105. Quod etiam Clariſſ. Buddeus in Philoſ. pract. Cap. V. ſect. V. §. X. docet: *Contra mala inveterata non impetu, ſed ſenſim procedendum eſt, ut primo imminuantur, mox decreſcant, tandem exſtinguantur.*

§. VI.

Nova denique eſt cauſa, magnis viris dignam reputari virtutem clementiam, uti ait Cicero lib. I. de Offic. cap. XXV. *Nihil laudabilius, & præclaro viro dignius placabilitate & clementia.* Quod etiam Seneca lib. I. de Clem. cap. III. ſupra cap. II. §. VI. citatus de Principe prædicat. Hæc enim nomen conciliat magnum & pæne immortale, ſecundum Claudianum illud de IV. Honor. Conſul:

Nam quum vincamur in omni
Munere, *ſola Deos æquat clementia nobis.*

Et hæc favorem conciliat civium, *eſt* enim, ſecundum Ciceronem Lib. II. de Offic. Cap. VIII. *perſpicuum, benevolentiæ vim eſſe magnam, metus im-*

Digitized by Google

imbecillem. & cap. ſeq. IX. *vehementer amor multitudinis commovetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum & facilitatem.* Sic etiam citato §. III. Cap. II. loco Carpzovius: *Jus aggratiandi propterea ſibi reſervavit,* (Princeps ſcil.) *ut benignitatis, & clementiæ laudem conſequeretur, ſubditorumque amorem ſibi conciliaret.* Quod multis allegatis teſtimoniis comprobat, imprimis Ovidii:

Dextera præcipue capit indulgentia mentes,
Aſperitas odium ſævaque bella movet.
Odimus accipitrem, qui ſemper vivit in armis
Et pavidum ſolitos in pecus ire lupos.
Sit piger ad poenas Princeps, ad præmia velox,
Et doleat, quoties cogitur eſſe ferox.

Idem approbat cit. Cap. II. §. III. Clariſſ. Buddeus in Philoſ. pract. Cap. V. Sect. V. in fine ibid. cit. §. VII. *Accedit vero, quod hac ratione ſummo Imperanti campus ampliſſimus, ſubditorum animos ſibi conciliandi, aperiatur.*

§. VII.

Tertia nunc ſupereſt quæſtio, quis MODUS in impunitate concedenda ſit ſervandus. Et inprimis quidem diſtinguendum eſt inter objecta impunitatis, unde modus adhibendus cognoſcitur.

Digitized by Google

Malis enim nulla detur impunitas; ubi autem ſpes emendationis ſupereſt, ibi concedenda. Apprime Seneca de clem. lib. I. cap. II. *Non vulgo ignoſcere debet; nam ubi diſcrimen inter malos & bonos ſublatum eſt, confuſio ſequitur, & vitiorum eruptio. Itaque adhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilia ingenia diſtinguere a deploratis ſciat. Nec promiſcuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abſciſſam. Modum tenere debemus.*

§. VIII.

Præterea etiam in eo modus adhibendus, ne ob eadem delicta alii puniantur, alii vero non. Improbat hoc ſummo jure cit. ſæpius Cicero de Offic. lib. I. cap. XXV. *Cavendum eſt etiam, ne iisdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* Sic partium ſtudio deditus Princeps parum juſte aget, ſi forſan opulentiores, honoratioreſque reos levi cenſura dimittit, in leviter vero delinquentes egenos ac inferioris conditionis cives graviter animadvertat; quo illud Juvenalis videtur pertinere:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Improbat hoc etiam Puffendorfius de J. N. & G. lib. VII. cap. IX. §. 6. *Imperantium eſt*, inquit, *LL. exſecutionem procurare, poenaſque ſumere pro cujuſque facti conditione, transgreſſoriſque intentione*

Digitized by Google

ne & malitia. Qua quidem in re ita procedendum, ut ſeveritas LL. non in modicos duntaxat cives, ſed & in divites & potentes exerceatur, quibus ſuæ opes aut nobilitas nunquam id licentiæ dare debent, ut humilioribus impune inſultare poſſit. —— Nec ſine ſufficiente cauſa venia indulgenda; quum & *iniquum ſit, & ad irritandos civium animos efficaciſſimum, æqualiter meritos cæteris paribus non æqualiter tractare.*

§. IX.

Tandem ad modum in Impunitate ſervandum referimus, ut nonnunquam pro rerum circumſtantiis poena quidem remittatur, ſed ad tempus tantum, quo elapſo exſequatur. Exemplum nobis præbet David. I. Reg. II. 8. 9. ubi apparet poenam, quam Simei 2 Sam. XIX. 23. remiſerat, ad dies vitæ ſuæ remiſiſſe, ex mandato ad Salomonem filium, ne Simei impunem relinqueret. Eodem modo etiam certis conditionibus remittitur, ſic Salomo 1 Reg. II. 37. prohibuit Simei extra pomoeria urbis exire, hac vero ſalutis conditione ab eo violata, v. 46. prædicto eum ſupplicio adfecit.

Digitized by Google

CAP. IV.

De Impunitatis ejuſque ſpei contrariis.

§. I.

Contraria Impunitatis conſideraturis duo præcipue tractanda erunt. Unum quidem erit Impunitatis contrarium, *Severitas* neceſſaria, quæ certo reſpectu clementiæ opponitur; alterum vero contrarium ſpei & peſtilentiæ impunitatis *metus poenæ*, de quo nobis in altera hujus cap. ſectione §. VI. ſeqq. ſermo eſt futurus.

§ II.

De SEVERITATE itaque primo loco dicendum erit. Hæc a Deo O. M. ipſo juſſa. Ita cit. D. Paulus ad Rom. XIII. 4. *Magiſtratus gladium non fruſtra gerit, eſt Dei miniſter, ulciſciturque delicta poenis in eo, qui mala facit.* Idem adfirmat D. Petrus epiſt. I. cap. II. 13. 14. ſubjecti eſtote cuicunque ordinationi hominum propter Dominum, ſive ſit Rex, ſive præfectus, ſive præſes qui ejus vicem obeunt, *in vindictam quidem male agentibus*, in laudem vero benefacientibus. Innumeriſque

que fere aliis locis in S. Codice ſuo exemplo ſeveritatem neceſſariam oſtendit Deus, quum comminatur ſe non impunes relicturum ſceleratos, ut Exod. XX. 7. Num. XIV. 18. Hiob. X. 14. Jer. XXV. 29. XLVI, 28. XLIX. 12. alibique paſſim.

§. III.

Id docet etiam Melanchton vir in litteratura magni nominis operum ſuorum part. III. pag. 156. *Magiſtratum cogi mandato divino punire ſcelera.* Idem quoque jubent LL. Civiles. Sic *l.* 16. π. *de poenis*: Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum *ſupplicia exacerbentur, quotiens nimis multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt. L.* 51. π. *ad L. Aquil.* Non impunita maleficia eſſe oportet. *L.* 9. π. *de publican. & vectigal.* illicitè exactum in duplum reſtitui jubet, vi vero extortum in triplum, & amplius extra ordinem puniendum eſſe, addita ratione, alterum enim utilitas privatorum, *alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat. L.* 95. π. *de ſolut. & liberat.* Impunita non debent eſſe admiſſa. *L.* 28. π. *de poenis* §. *famoſos.* vult famoſos latrones in his locis, uti graſſati ſunt, furca figi, ut conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus. *l.* 13. π. *de offic. præſid.* jubet præſidem ſollicite agere, ut malis hominibus provincia careat, unde ejus eſſe eos conquirere: ſicuti in *ſacrilegos, latrones, plagiarios conquirere deberet, & prout quiſque*

Digitized by Google

deliquerit, in eum animadvertere, receptoreſque eorum coërcere. l denique 14. *Cod. de poenis* edicit: Non remitti facile poenam publici intereſt, ne ad maleficia temere quiſquam proſiliat. Inde non immerito dicit Carpzovius in Prax. Crim. part. III. qv. CXXVIII. §. 1. pleraſque haſce I.L recenſitas ibi allegans: *Criminum reos debito ſupplicio coërceri, atque delicta minime impunita remanere debere, uno ore Interpp. exclamant.*

§. IV.

Et digna eſt ſeveritas viro magno, atque utilitatem inſignem ſecum conjunctam habet, æque ut ſupra cap. II. §. VI. clementiam principi dignam eſſe contendimus. Facit nobiſcum hac in re Cicero de offic. lib. I. cap. XXIX. *Ita*, inquit, *a natura generati non ſumus, ut ad ludum & jocum facti videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & quædam ſtudia graviora atque majora.* Nec eſt, quod nobis forſan objiciatur, parum congrua eſſe, quæ a nobis traduntur, quum cap. antec. impunitatem clementiamque collaudaverimus, jam vero contrarium ejus, ſeveritatem, etiam celebremus; ſed his cum Seneca cap. III. lib. I. de clem. reſpondemus: *Huic* (clementiæ ſcil. uti ex antecedentibus liquet) *contrariam imperiti putant ſeveritatem, ſed nulla virtus virtuti contraria eſt.*

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Quare, ſicuti cit. loco clementiæ, ſic hic etiam *Severitatis* utilitatem & neceſſitatem comprobabimus. Et *neceſſitatem* egregie demonſtravit Illuſtris Bôhmerus in Jure publico univerſali P. ſpec. Lib. II. cap. VIII. §. V. *Quandoquidem, inquit, homines per coalitionem in civitates non meliores fiunt, ſed effrenem ſuam naturam retinent; ita medium aliquod ejuſmodi excogitandum fuit, quod naturæ eorum inimicum eſſet, ut ſub hoc metu abſterrerentur ab omni effreni libidine.* Quod allegato teſtimonio probat ex Cicerone ad Brut. lib. I. epiſt. XV. ubi commendat Solonis regulam, qui *rempublicam duabus rebus contineri* dixit, *proemio & poena.* Præterea nulla reipublicæ adminiſtratio ſine ſeveritate eſſe poteſt. Sic Cicero de offic. lib. I. cap. XXV. *Ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, ut adhibeatur Reipublicæ cauſa ſeveritas; ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt.* Neque ſine ea eſſe poteſt ſecuritas ut teſtatur ab cit. Illuſtri Bôhmero adductus Ariſtoteles lib. X. Ethic. cap. ult. *Vulgus non ita natum eſt, ut pudori obſequatur, ſed ut metui, nec ut abſtineat a pravis ob turpitudinem, ſed ob ſupplicia.* Ipſæ præterea LL. civiles, quæque circa eas verſatur Jurisprudentia legiſlatoria, abſque ſeveritate nullum uſum haberent aut effectum. Quum enim neceſſaria pars legis perfectæ ſit ſanctio poenalis,

hæc

hæc ſine ſeveritate exſecutioni dari nequit. *Quid enim* (utamur verbis clariſſimi Viri Jac. Gabr. Wolfii in Juriſpr. Natur. P. II. S. II. cap. VI. §. I) *quæſo juvaret legibus in terrorem ſubjectorum ſanctionem poenalem adüeciſſe; niſi hæc in actum unquam foret deducenda, poenaque in transgreſſores ſtatuendâ.* Idem Puffendorfius J. N. & G. lib. VII. cap IX. §. 6. teſtatur: *Quia autem*, inquit, *fruſtra feruntur LL. ſi impune eas violari tolerent ſummi Imperantes, igitur horum eſt exſecutionem earundem procurare, poenaſque ſumere.* Altera hujus §. ſectio *Severitatis utilitatem* oſtendit, quæ eſt emendatio delinquentium, hancque diſertis verbis declarat *l. 20. π. de poenis:* Poena conſtituitur in emendationem hominum. Quodetiam Illuſtris Thomaſius adfirmat in Juriſpr. div. lib. III. cap. VII. §. 118. ſeqq. Venio ad puniendi modum, ubi præcipitur: *puni quantum ad emendationem communem opus eſt.* Et hoc quoque Seneca cit. lib. I. cap. XXII. adfirmat.

§. VI.

Adhibenda autem eſt ſeveritas adæquata delictis, ut pro eorum gravitate diverſa, diverſo modo etiam ſeveritas acuatur, aut minuatur. Apprime Horatius lib. I. ſat. III.

Adſit
Regula peccatis, quæ poenas irroget æquas:
Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Hoc

Digitized by Google

Hoc etiam Puffendorfius ſæpius jam cit. loco lib. VII. cap. IX. §. 6. monet: *Imperantium eſt poenas ſumere pro cujusque facti conditione, transgreſſoriſque intentione & malitia* Eadem ſunt quæ Illuſtris Thomaſius cit. Juriſpr. div. lib. III. cap. VII. §. 120. differit: *princeps in poenarum irrogatione proſpicere debet, ut poenæ adhibeantur proportionatæ delictis*; & ſuadet, ut gravitas delictorum ex objecto, effectu & frequentia æſtimetur; qua in re plane cum eo conſentit Illuſtris Böhmerus cit. in Jure publ. univerſ. part. ſpec. lib. II. cap. VIII. §. XXVII. ſq. *L.* 11. *pr.* & *L.* 13. *π.* *de poenis*.

§. VII.

Sed pergendum eſt ad ſectionem alteram hujus Capitis, METUMQUE POENÆ ſpei impunitatis contrarium explicantem. Quem quidem duplicem invenimus, alterum *connatum*, alterum vero *inferendum*. Quod ad CONNATUM attinet, multis quidem *teſtimoniis* eum comprobare poſſemus; ſacro: D. Pauli ad Rom. II. 14, 15. *Quum enim* inquit, *gentes legem non habentes, natura quæ legis ſunt, faciant, hæ, legem non habentes, ſibimetipſis lex ſunt: qui quidem oſtendunt legis in ſuis animis inſcriptum: teſtante id eorum conſcientia, cogitationibuſque invicem accuſantibus vel defendentibus.* profano: Juvenalis ſatyra XIII:

 Quis

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Nocte dieque ſuum geſtant in pectore teſtem.

& Ovidii Faſtor. lib. I.

Conſcia mens, ut cuique ſua eſt: ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.

Jctorum: Puffendorfii in J. N. & G. lib. I. cap. III. §. 4. Diſtinguentis inter conſcientiam antecedentem & conſequentem, illamque eſſe ait *judicium velut reflexum intellectus ſuper omiſſis aut commiſſis adprobans bene, damnans ſecus facta*; &c. & Huberi de Jur. Civ. lib. II. Sect. VI. cap. I. §. 10. *Non temere ita dictat humani generis conſcientia, nolle Deum ignoſci maleficiis, nequidem occultis.* Quum vero timor hic proprie hujus loci non ſit, ad forum quippe humanum, de quo nobis tantum ſermo eſt, non ſpectans, miſſum eum faciamus.

§. VIII.

Ad METUM INFERENDUM itaque quod attinet, neceſſitas ejus atque utilitas ex demonſtrata §. V. ſeveritatis neceſſitate & utilitate ſatis adparet. Jubent eum præterea ſacræ Paginæ pariter ac LL. civiles. Sic Deus Deut. XVII, 13. morte plectendum jubet temerarie acturum & ſa-

Digitized by Google

ſacerdoti judicive, Dei vicem obeunti, morem non geſturum, *ut omnis populus audiat, & timeat, nec amplius temere agat.* Sic cit. ſæpius loco D. Paulus Rom. XIII. 3, 4. edicit magiſtratum *timendum* eſſe; ſi vero *timere* nolueris, benefacias, & deinde ſi malefeceris, time. Cum hiſce congruunt etiam LL. civiles; ita enim *l.* 1. π. *de J. & J* §. 1. Bonos non ſolum *metu poenarum*, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes. *& l.* 27. π. *de pactis* §. 4. vult ſufficere, ſi *LL. poena timeatur nondum admiſſo delicto*; id quod verba legis obſcurius aliquanto poſita innuere tamen videntur. Quamvis enim quis ex verbis, *ſi paciſcar, ne furti agam* colligere vellet jam commiſſum eſſe debere delictum, quippe cujus actionem pacto avertere velis; tamen verba ſequentia: *poſt admiſſe hæc paciſci poſſumus*, dubium ſolvent, mentemque Pauli eam conſtituent, non eſſe ſervanda pacta ob turpem cauſam allatam, quum pacto non opus ſit ante commiſſum delictum; ſufficere LL. poenas, quemque illæ delinquentibus metum incuterent; poſtea vero quam delictum eſt commiſſum, quum metus poenæ nihil amplius operari poſſit, poſſe pactum de actione avertenda valide conſtitui. Hæc quidem nos de legis hujus ſenſu credimus donec ad rectiorem ab aliis deducamur viam.

Digitized by Google

§. IX.

Non erit denique inconſultum ſcriptorum theſin noſtram probantia adducere teſtimonia. Ità Gellius N. A. lib. VI. Cap. XIV. Tertia; inquit, ratio vindictæ eſt, quæ παράδειγμα a Græcis nominatur, quum punitio propter exemplum eſt neceſſaria: ut cæteri *a ſimilibus peccatis*, quæ prohiberi publicitus intereſt, *metu poenæ cognitæ deterreantur*. Puffendorfius in eandem abit ſententiam lib. VII. cap. II. §. I. Malitia generis humani, & ad lædendos alios proclivitas nulla re efficacius reprimi poteſt, quam *oſtentato cominus præſentaneo malo*; quod manſurum ſit eum, qui alterum adgreſſus fuerit, *ac ſublata ſpe impunitatis*. Ceteros brevitati ſtudentes non adlegandos ducimus.

CAP. V.

De Impunitatis effectu.

§. I.

REſtat doctrina de Impunitatis effectu, quem *duplicem* oſtendemus, alterum *ſi magiſtratum ſpectes*, alterum *ſi cives*. In duo membra itaque diſpe-

diſpeſci caput hoc, ultro adparet. Monendum vero antea eſt, impunitatem hoc loco eo ſenſu nobis venire, uti cap. I. §. VI. ubi de conniventia mala diximus. Bono enim ſenſu acceptæ effectum tam cap. III. §. III. IV, V. & VI. tradidimus, quam ſuapte ſponte ſatis ille notus eſt.

§. II.

Quod itaque ad EFFECTUM IMPUNITATIS INTUITU MAGISTRATUS attinet, quum civili poena magiſtratus ſuperior ob delicta impunita adfici nequeat ob rationem ſupra cap. I. §. IV. adductam, eum potiſſimum conſtituimus, quod ſe ſocietate criminum impunitorum polluat, eaque ipſi tanquam a ſe ipſo commiſſa imputentur. Sic citatus jam §. III. cap. antec. Melanchton ait: *Quum magiſtratus polluit ſe ſocietate, hoc eſt, quum eſt negligens in puniendo*, totæ gentes delentur. Comprobat hoc exemplum Achabi Iſraëlitarum Regis 1 Reg. XX. 24. Ubi propheta Regi divinitus juſſus: *Hoc tibi ſignificari jubet dominus, quoniam tu hominem ab eo exitio deſtinatum de manu emiſiſti, illius & vitam tua vita, & populum populo repenſum iri.* Quod etiam adfirmat Salomo Rex 1 Reg. II. 31. *Eum* (Joabum ſcil.) *interficito*, & ſepelito, *& me meumque genus patrium a ſanguine*, quem Joabus per injuriam fudit,

 ex-

Digitized by Google

expiato. Sic idem indicat Eſajas cap. XXVI. 21. ubi Deus minatur: *Se proditurum ex ſuo loco, ad vitia habitantium terras in ipſos vindicanda, ut detegat ſuum terra ſanguinem, neque ſuos amplius cæſos operiat.* Et adducit Huberus de Jur. Civit. lib. II. Sect. VI. cap. I. §. 10. Sacri Codicis loca alia, quibus Deus ignoſcentibus, delinquentium crimina ſe imputaturum edicit.

§. III.

Sed magiſtratus inſuper hæc contra expreſſum mandatum divinum agit ſi maleficia. inprimis atrociora, impunita dimittit. Quod ex dictis S. paginarum probat cit. loco Huberus §. 9. *In republica* inquit *Princeps aut judex maleficiis coërcendis præpoſitus, ſi delicta relinquit impunita, non facit officium ſuum, & peccat, utique ſi maleficia juri naturæ, gentium & divino repugnent. Quo pertinent hæc dicta ſcripturæ ſacræ: Ne parcat oculus tuus, Deuter. XIX. 12. 13. Abripies eum ab altari meo, Exod. XXI. 14 & de non impunitis dimittendis homicidis, Gen. IX. 5. 6. Exod. XXI. 12. parricidis, Exod. XXI. 15. 17. mortiſque reis, Levit. XXVII.* 29. *Num. XXXV.* 30. 31. Inprimis vero ut ſanctitati ſuæ crimina præ reliquis adverſantia inceſtus, Levit. XVIII. & XX. adulterii, Levitic. XX. 10. & ſtupri, Deuter. XXII. 23. 24. 25. puniri juſſit Deus capitali poena ſine ulla facultate re-

Digitized by Google

remittendi poenam aut commutandi. Nec ulla eſt exceptio niſi in ſolo ſtupro hæc, ſi juvenis puellam nemini deſponſatam cum ejus conſenſu compreſſerit, Exod. XXII. 16. Deuter. XXII. 18. Si enim vel requiſitorum horum unum abſuerit, capitalem poenam nullus Princeps judexve remittere ullo modo poteſt. Quamobrem ſive maritus virginem non deſponſatam, conſentiente illa, vitiaverit; ſive juvenis per vim fecerit, uterque capite plectendus erit. Vim enim omnino abeſſe debere cit. locus Exod. XXII. 16. indicat; ſiquis *induxerit*, l. *perſuaſerit* virgini &c. lenocinia verborum hic intelligi tantum neminem cordatum fugit. Sic eo ipſo etiam patet, deſponſatam ſi quis vel maritus, vel juvenis, vel virgine conſentiente, vel diſſentiente compreſſerit, capitis eum poenam aufugere non poſſe, niſi judex Princepsve, mandato divino Deut. XXII. 24. neglecto, malum ſuo capiti ſuere velit.

§. IV.

Sed videamus jam IMPUNITATIS EFFECTUM INTUITU SUBDITORUM. Et hoc membrum hujus Cap. ſecundum in tres partes dividemus. Primo loco enim effectum impunitatis intuitu *ſubditorum in genere*, conſiderabimus. Quem in eo conſtituit cit. §. II. Melanchton, ut *totæ gentes deleantur* ob ſcelera impunita relicta. Tale exem-

exemplum lugubre præbent Sodomitæ 1 Moſ. XIX. qui imbre igneo & internecione totius civitatis de ſceleribus impunitis, intentatoque hoſpitibus Lothi ſtupro dignas dederunt ſummo Numini poenas Sic etiam tribus Beniamitica, quod vindicare nollet Levitæ Jud. cap. XIX. conſtupratam pellicem a Gibeitis Jud. XX. 13. Deo ipſo vindicante ſcelus, v. 35. ab reliquis Iſraëlitis fere tota deleta fuit, v. 47. 48. Et teſtatur Deus Levit. XVIII. 24. 25. 27. 28. ob delicta & ſcelera gentes eas vita terraque exutas a ſe eſſe, quarum regionem Iſraëlitico populo habitandam conceſſit.

§. V.

Effectum autem alium etiam invenimus impunitatis *intuitu delinquentium ipſorum.* Hi enim impunitate concepta ſemel, ſpeve ejus ſeſe lactantes ad iterum peccandum redduntur audaciores Egregie hoc ſapientiſſimus Rex tradit in Eccleſ. cap. VIII. 11. *Quia non cito profertur contra opera mala ſententia, inde impletur cor hominum in eis ad faciendum malum.* Et hæc eſt illa peſtilentia, quam *Clem. I. de celebr. miſſæ* indicat Pontifex Clem. V. Nonnullorum, inquit, Rectorum *negligentia, quæ ſpem impunitatis permittit, multam nutrire peſtilentiam conſuevit in ſubditis.* Et hujus peſtilentiæ complura exempla ſuppeditat Petrus Martyr in locis commun. Claſſ. IV. cap. XIV. ſ. 19.

19. Ex hac, ait, lenitate Davidis (quod ſcilicet Joabum ob interfectum Abnerum promerita poena non adfecerit) *alii quodammodo animati ſunt ad flagitium: Latrones enim poſtea auſi ſunt Iſboſethum interficere domi ſuæ; Amnon ſtuprare ſororem ſuam; Abſolon, Amnonem; Joab ipſe etiam Amaſam occidere.* Sic Hertius in Prud Civ. Part. I. Sect. I. §. X. adducit plurima teſtimonia inprimis Lactantii: *Licentiam parere audaciam, quæ ad omne flagitium & ſcelus evadat.* Et Ciceronis: *Quæ libido ſe non proripiet, aut projiciet, aut occultatione propoſita, aut impunitate & licentia? Succeſſus improborum plures allicit.* Quod ſua, autoritate ſtabilit Puffendorfius lib. VII. de J. N. & G. cap. IV. §. 3. Manifeſta eſt ingenii humani apud pleroſque pravitas, & experientia nimis cognitum quam *parum valide plurimi homines ſola fidei ſuæ reverentia ac ſanæ rationis dictamine in officio contineantur, ubi metum poenæ removeris.* Quod cit. ibidem. Horatius lib. Satyr. VII. eleganter adſerit:

Tolle periclum
Jam vaga proſiliet frenis natura remotis.

Hiſce ſatis, quod voluimus, probari confido. Non aliter evenit mortalibus ob delicta impunita, quam aquarum fluminibus, quæ pleno gurgite vecta non continere poſſunt, qua abundant, aquam, quin eam in aridam egurgitent; quo ſimili utitur Tho-

Digitized by Google

mas Cartwrightus Cantabrigienſis Theologus, in homiliis ſuis in Eccleſiaſtem, illuſtrans locum ſub initium §. hujus allegatum.

§. VI.

Reſtat tandem tertium membri ſecundi membrum effectus impunitatis *intuitu reliquorum civium ac ſubditorum* conſiderans. Hic eſt, ut impunitatis ſpe alliciantur mali ad turbandos quibuſcum in eadem civitate reque publica vivunt cives vel paratiſſimos. Sicuti enim immedicabili vulnere infectum humani corporis membrum non acutiſſimis ſolum doloribus cætera membra divexat; ſed iis periculum quoque in nonnullis præcipue morbis, ſeſe infectum iri infert: Sic etiam malorum facinora bonos indignitate rei ad deteſtandos veſanos conatus ordinarie quidem & in principio commovent, unde etiam eorum animos haud exigua de ſalute reipublicæ cura ſollicitos habet; haud raro vero fortiſſima exemplorum vi, & variis oſtentatis proemiis, metuque inſuper hoc, vano tamen, injecto, in criminum ſocietatem, nomine ad ſpeciem utilitatis publicæ compoſito, ipſi boni adducuntur. Quamobrem cap. antec. remedia nonnulla adhibenda tam periculoſo morbo recenſuimus, inprimis vero illud Ovidii commendandum tunc erit ubi deſperata res eſt, uti ſolent reipublicæ morbi plerique eſſe majores:

Im-

Digitized by Google

Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Non arbitramur itaque fuſiore hunc effectum impunitatis egere probatione, quum exempla præterea in promtu eſſent, ſi iis adducendis longiores eſſe ſtatuiſſemus; neque ea ſolum, quæ ab exteris petenda, vel quæ intra Germanici Imperii limites occurrunt, ſed ſola, proh dolor, patria hujus ſæculi ſufficerent, ſi vivis ea coloribus depingere, vel mens eſſet, vel hujus inſtituti ratio permittere videretur.

§. VII.

Hæc ſunt, quæ de Impunitatis forma, ſubjecto eam exercente, objecto, cauſa impellente, modo, contrariis, & effectu in medium proferre conſtituimus. Spem concipimus fore ut nonnemini ex cordatioribus (aliis enim non ſtudemus probari) arrideat hæc noſtra ſcriptio. Neque deterreri nos paſſi ſumus, ne hoc qualecunque ederemus ſpecimen, quod ab aliis, in litteris provectioribus, luculentius elaborari hæc materia forſan potuerit. *Etiamſi* enim *quis*, ſecundum Quinctilianum Inſtitutt. Orat. lib. XII. cap. XI. *ſumma deſperet, tamen eſt, (ut Cicero ait) pulchrum in ſecundis tertiiſque ſubſiſtere. —— Quin immo ſi hanc cogitationem homines habuiſſent, ut nemo ſe meliorem fore eo, qui optimus fuiſſet, arbitraretur, ii ipſi, qui ſunt optimi, non fuiſſent.*

EPISTOLA

Digitized by Google

E P I S T O L A
GRATULABUNDA
A D
Nobiliſſimum Dominum Candidatum Adfinem Honoratiſſimum.

D*Um in eo ſum, ut Tibi de* ſummis, *quos propediem exſpectas* in Utroque Jure Honoribus, *imperante adfinitate, gratuler, poſſem equidem ex more recepto, qualemcunque in Te extollendo exercere facundiam. Neque enim e longinquo arceſſenda foret laudis materia, cum eandem copioſe ſuppeditent, quas Tua, impunitatis moralitatem exponens, inauguralis Diſſertatio legentibus adprobat, animi dotes. Scilicet vel ſola ſororio nexu juncta eruditioni modeſtia, quam ex eo, quod, factâ in Cap. 5. §. 2. ad ſapientiſſimi Regis mandatum* 1 *Reg.* 2. *vs.* 35. *provocatione, adverſus doctrinae Thomaſianae de jure aggratiandi homicidam doloſum &c.* πρῶτον ψεῦδος, *quaſi nimirum EXPIATIO non pertineat ad poenas humanas, quod in notis ad Huberum de jur. civitat. L.* 2. *ſect.* 6. *c.* 1. §. 13. *profitetur, abſque ulla ejus mentione, tanquam aliud agendo, arma ſuppeditas, colligere licet, ſat amplum fuerat laudis argumentum. Enim vero a laudibus quidem, quae in praeſentem proficiſcuntur, verecundius abſtinet mens adulari neſcia. Quamquam nec iſta abſtinentia efficere poteſt, quo minus libere profitear, neque Monzambani de ſtat. Imp. Germ. C. VII.* §. 3. *querelis de*

Aca-

Digitized by Google

Academicarum dignitatum abuſu, neque Carpzovii in Ipr. Conſiſt. L. 2. Defin. 108. *& Titii in Jur. Privat. L.* 10. *c.* 2. §. 13. *circa eundem diſquiſitioni, an ſcilicet in ſtultitiam, vel in injuſtitiam incidat, locum fore ullum, ſi non niſi eâ doctrinâ, quâ Tu imbutus es, inſtructi ad eaſdem admitterentur. Ut vero novi, qui Te manent, honores, Tibi proſpere eveniant, eſt quod enixe voveo; nimia quidem fortaſſis verborum raritate, quam tamen facile penſabit tacita uberioris affectus eloquentia.*

Dab. Auricae d. 24.
Julii Anno 1725.

HENRICUS SIGISMUNDUS Backmeiſter.
Sereniſſ. Princ. Friſ. Orient,
Advocatus Fiſci.

THE-

Digitized by Google

THESES:

TH. I.

ADvocati inviti ad præſtandum patrocinium cogi poſſunt.

TH. II.

Coecus hodie ſine dubio poteſt eſſe judex. Diſſent. Bachov.

TH. III.

Tranſigentes ſub prætextu læſionis enormis reſcindere tranſactionem non poſſunt.

TH. IV.

Neque ſub prætextu erroris.

TH. V.

Sponſalia mutuo diſſenſu diſſolvi poſſunt.

TH. VI.

Benedictio ſacerdotalis ex ſponſalibus clandeſtinis non facit publica.

TH. VII.

In donatione remuneratoria non præſtatur evictio.

TH. VIII.

Actio injuriarum & æſtimatoria non poteſt cedi.

TH. IX.

Spe emta totum pretium debetur, licet nihil captum fuerit.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google